



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Orationes justorum, quantam apud Deum vim habeant, etiam in ipsius
naturæ leges?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Isa. 38. 1.

ga ab Israël. Tres dies assignauerat Dominus ad plagæ illationem; sed oratio & sacrificium Dauidis Domini sententiam reuocauit. Quod etiam oratio Ezechiaë effecit. Iam protulerat Deus mortis sententiam, sed vitam adhuc rex sibi exorauit. *Hec dicit Dominus, ait Isaias: dispone domui tue, quia morieris tu, & non uiues: tunc conuersus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum est illico uerbum, ad eundem Prophetam: Vade, & dic Ezechiaë: Hec dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & uidi lachrymas tuas. Ecce ego adijciam, super annos tuos, quindecim annos, & de manu Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Tanta est vis orationis, ut per eam Ezechias sibi, Dauid ingenti hominum numero, vitam prolongarit; etsi Deus oppositum decreuerit facere, idque decretum, lata sententia, confirmarit. Terreni Principes decreta semel emissa inuiolabilia uolunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus sinunt ea infringi. Non ita inexorabilis est Deus, cuius decretum ac sententiam unius hominis oratio potest reuocare.

XII.

Quin adeò multum ualet deprecatio iusti, apud Deum, ut quodammodo Deo imperare, & in naturæ ipsius legibus dispensare uideatur. Si gubernatore ciuitatis uigilias obeunte, ei qui facem præfert, miles quispiam diceret: Heus tu, siste gradum, & lumen mihi suppedita, donec de inimico meo me uindicem; an non miraremur audaciam? quid enim hoc aliud esset, quam præcipere ipsi gubernatori, ut expectet, & se duellantem adiuuet? Ita supremus ille totius creaturæ Gubernator, assidue Vniuersum hoc, sua prouidentia, circuit. Sol autem, tanquam fax, fertur, non quòd ipsi lumine hoc opus sit, sed ut se cuncta uidere declaret. Iosue igitur generosus ille miles, contra Chananæos, pugnaturus, ausus est exclamare: *Sol, ne mouearis, contra Gabaon.* Quid est hoc aliud, quàm Soli simul ac Deo præcipere, ut cursum suum & totius uniuersi sistat? nam, sole stante, utique etiam luna & stellæ, atque cælum omne substiterunt, ne debita Mundi symmetria perturbaretur. Enimuerò *stetit sol, in medio cali, & non festinauit occumbere, spatio unius diei: non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino uoci hominis.* Quid cupimus amplius? in diebus Ezechiaë, etiam *retro redijt sol.* tres pueri, in fornace, orando ignem refrigerauerunt. Daniel, in lacu, orando leones mansuefecit. Apostoli, alijque Sancti orando mortuis vitam reddiderunt. Denique ni-

que nihil est, quod orando innocentes, apud mitissimum suum Iudicem Deum, non possint impetrare.

Quid hac digressionem autem, me velle demonstrare putatis? Nempe illud, tametsi alioqui naturæ vires multis tantæ essent, ut adhuc longam ætatem possent prouidere; tametsi etiam ipse naturæ author vitam illis longiorem largiri voluisset; tamen vitam eorum abrumpi, ut non dimidiant dies suos, contra quos orant iniuste passi, iniusteque, à iudicibus, magistratibus, aut principibus damnati. Exaudit Deus suos; inimicos autem suorum deducit in puteum interitus. Vnde sequitur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et cur non exaudiret orantes, quemadmodum D. Bernardus vir patientissimus alioqui & mansuetissimus orauit? Orauit autem ille quoque, his verbis aliquando: *Tuum, Domine IESV, tribunal appello; tuo me iudicio seruo; tibi committo causam meam. Domine Deus Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes & corda: cuius oculi, sicut fallere nolunt, ita falli non possunt. Itaque arbiter meus, Domine IESV, de vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant equitatem; videant, & iudicent.* Illi ergo ipsi, quibus amara est memoria mortis, qui semper in his terris optarent viuere, caueant, ne alios cogant ita orare, & illos ad diuinum tribunal, ex hac vita, ante terminum & tempus, à natura, ab ipso alioqui Deo concessum, euocare. Esto iudices, esto Duces, esto Principes, esto Cardinales, esto Imperatores, esto summi Pontifices sint; *Tros Rutulusue fuit, nullo discrimine habebit,* qui non personas, sed acta solet ad censuram vocare, Deus.

XIII.

Psal. 54. 23.

S Bernard. ep. I. ad Robertum.

Hæc dum ita disputo, scitis quorum peculiariter animis incidat metus tacitus? Conscientia similis culpæ, parem exitum formidat. Certè si, qui paria antehac ausi sunt, non habuere paucos citatores; tamen paria ausuri in metu esse debent, ne & illis Deus iratus vitæ filum incidat. Quinam ergo ex hoc censu sunt? Ex enumeratis historijs id possumus cognoscere. 1. Qui, Saulis instar, æmulatus agunt, & ob virtutis excellentiam, Dauides suos volunt habere occisissimos. 2. Qui beneficiorum immemores, sicut rex Ioas, Zachariam interficiunt (hoc est, eum, qui ab impietate dehortatur) & filios eorum, quorum benignitate ipsi viuunt. 3. Antiochi iniqua imperantes, & tormentis perdentes eos, qui iniqua exequi recusant. 4. Alexandri à fide deficientes, qui eos violentissimè persequuntur, à quibus, in fide, & omni genere disciplina.

XIV.

Supra c. 32. 1. Reg. 24. 13

2. Paralip. 24. 23.

2. Machab. 7. 17.

2. Tim. 4. 15.

D d d disciplina.